

mihi: in domum domini ibimus, in Ps. [121, 1]. Eapropter dicit Ambrosius libro de bono mortis⁸⁾: *Non timeamus igitur recipi ab hominibus, non vereamur illum debitum omnibus finem, in quo Esdras remunerationem invenit dicente ei domino: Tu enim rapieris ab hominibus et conversaberis residuum cum filio meo et cum similibus tuis. Quod si illi iocundum et gloriosum erat cum similibus conversari, quanto nobis gloriosius erit et iocundius ad meliores pergere et conversari cum hiis, quorum facta miramur?* Et post pauca: (fol. 62^v) *Nos divini precepti habemus auctoritatem^x, Moyses et Helias cum Christo apparuerunt. Abraham duos^y alios cum deo suscepit hospicio. Iacob dei castra conspexit; Daniel iustos sicut solem et stellas fulgere in celo revelante sibi spiritu sancto declaravit; hiis igitur freti intrepide^z pergamus ad redemptorem nostrum Iesum; intrepide ad patriarcharum concilium, intrepide pergamus ad Abraham patrem nostrum. Cum dies advenerit, proficiscamur; intrepide pergamus ad illum sanctorum cetum iustorumque omnium conventum. Hanc mansionem cum electis et porcionem in terra viventium concedat clemencia Iesu Christi principi nostro cesari augusto per infinita secula seculorum Amen.*

Hanc collacionem feci Prage feria III^a, presente funere Karoli imperatoris ad beatam virginem ad cruciferos, ante nativitatem Christi, M^o CCC^o 78. anno.

Ad dictionem illius^{8a)} „ab alta presidencia auguste maiestatis^{8a)}“: Quamvis · N · fuerit rex regum et dominus dominancium, Ap. 19, 16, tamen humiliter deum reposcebat dicens: *Miserere mei, domine, et da imperium puero tuo, et salvum fac filium ancille tue. Fac mecum signum in bono ... usque consolatus es me*, in Ps. [85, 16]. Ipse nempe dilexit iusticiam et odivit iniquitatem; propterea unxit eum deus oleo leticie pre participibus suis, in Ps. [44, 8]. Quapropter cum beato Augustino de spiritu et anima capitulo 12 dicere potuit⁹⁾: *Nomine suo vocavit me, ut memoriale suum semper esset penes me; unxit me oleo leticie, quo ipse erat unctus, ut ab uncto essem unctus et a Christo dicerem^b Christianus. Sic gracia eius et misericordia prevenerunt me ... usque quando veni suscepit me. Hec ille. Et deo dixit: Tu autem, domine,*

^x) auctorem Ms.

^y) duo Ms.

^z) et trepidi Ms.

^b) diceret Ms.

⁸⁾ Migne PL 14, 591.

^{8a)} Rückbezug auf die erste Zeile der thematischen Reimprosa, oben S. 206 Z. 11.

⁹⁾ Migne PL 40, 792.